

Patre genitum, eiusdem essentiam non egredi; sed intra ipsius Patris substantiam, vel, ut Iohannes loquitur, in sinu patris permanentem, unam omnino, & nulla uspiam ratione divisam Deitatis esse σοιαν, vel unum cum Patre esse DEVM eiq; verè ὁμοόποιον.

105. Sunt vero præterea duæ præcipuae argumentorum Classes, quibus æterna Filij Divinitas contra perfidos eius abnegatores invictè demonstrari potest: I. sumi potest ex appellatione Iehovæ, & DEI. II. Ex proprietatibus & attributis, solius DEI proprijs, iisq; vel Essentialibus, vel operibus externis; & religioso adorationis cultu.

I.
106. Quoad primam classem, Filium DEI verè DEVM, patriq; ὁμοόποιον esse, sacræ literæ non uno modo testantur: quippe quæ nomen illud DEI propriissimum & Essentialie illi adscribunt. Ierem. 23, 6. 33, 16. Sic 1. Cor. 10, 9. Christus disertè nominatur Iehovah ille, quem Israelites tentarunt in deserto, & contra quem murmurarunt. Num. 14, 20. & 27. Sic Matth. 3, 3. idem Christus est Iehovah ille, cui paranda est via Ies. 40, 3. Sic Act. 2, 17. idem est Iehovah ille, qui effundit Spiritum sanctum super omnem carnem Ioel. 2, 28. Sic Rom 10, 13. idem est Iehovah ille cuius nomen est invocandum. Ioel. 2. 32. Sic Ioh. 19, 37. idem est Iehovah ille, quem confixerunt Iudei. Zach. 12.

Sic